



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXXI. De Appellationibus Ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

CAP. XXXI.
De Appellationibus Ecclesiasticis.

I.

Quemadmodum appellationes in foro civili necessariae visae & ex hinc introductae fuerunt: Sic etiam, postquam eundem processus ordinem observare placuit, easdem recepit in iudiciis suis Ecclesia. Nec enim *ἀναμάρτυρος* est iudex in foro Ecclesiastico; sed perinde, ut alii quis in foro civili, vitiis obnoxius existit. Quemadmodum igitur iure civili appellationes idcirco admittuntur, ut de iniquitate sententiae conquerendi pateat locus l. 17. ff. de minor. & ut iniquitas iudicantium, vel imperitia corrigatur l. 1. ff. de appellat. utve suppleatur id, quod in prima instantia vel per iudicem, vel per advocatos praetermissum fuit, l. 6. §. 1. C. eod. Ad eundem modum etiam iura canonica salutare hoc remedium iudiciis suis applicari voluerunt, et si negari nequeat, plurimis corruptelis istud in utroque foro subiectum esse, adeo, ut vix ulla pronunciari queat sententia, quae a condemnatis non habeatur pro maxime iniusta, & per appellationem suspendatur. Idque etiam Donatistis exprobrat Augustinus epist. 162. Quasi, ait, haberent, quod dicerent malos iudices se esse perpeffos, quae vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati &c.

II. Fuit verò hæc appellandi ratio ab eo mox tempore, quo Christiana religio ab Imperatoribus recepta legitur, inter ipsos Episcopos usitata. Nota est historia Athanasii, & quomodo condemnatus ille fuerit in Concilio Tyrio, quod ad instantiam Eusebianorum & Meletianorum à Constantino Imp. indictum fuerat. Sed cum iidem illi infensissimi Athanasii hostes essent, noluit iste hæc illorum sententiam acquiescere, sed ab Imperatore per modum provocationis impetravit, ut illi Constantinopolin evocarentur rationem suae sententiae reddituri. Rescriptum Imperatoris legitur apud Socratem, lib. 1. cap. 34. his verbis: *Quae à vestro Concilio per tumultum ac tempestatem iudicata sunt, equidem nescio. Videtur tamen per turbulentam quandam concitationem veritas esse labefactata; dum scilicet ob mutuam inter vos contentionem, quam invictam atque insuperabilem esse vultis, nec veritatem, nec ea, quae DEO grata sunt, consideratis. Sed faciet divina providentia, ut contentionis huius mala manifestè deprehensa penitus dissipentur; utque nobis plarum fiat, quantam vos, qui in unum convenistis, veritatis curam gesseritis, & an iustitia vestra citra gratiam & odium cuiusquam à vobis prolata sint. Vos igitur universos ad nostram pietatem properè oportet accedere, ut eorum, quae gesta sunt à vobis, rationem per vosmet*

vosmet ipsos accuratè reddatis. In sequentibus exponit causam hujus sui re-
scripti, & factæ in eo evocationis, imploratum se fuisse ab Athanasio, &
ægrè inductum, ut ei gratificaret, ac propemodum jusfisse, ut submoveretur
ille, quod putaret scil. Synodum ex tot Episcopis coactam, (fuerunt
enim numero sexaginta,) præsumptionem habere justitiæ impertitæ; ejus
tamen precibus flagitatum æquum duxisse, ut penes se cognitio repetere-
tur, utve ipsi, qui condemnationis sententiam conceperant, de judicii fini-
eieritate rationem redderent. Judicium igitur Synodale subiectum fuit
cognitioni Imperatoris, ut corrigeretur scil. iniquitas judicantium, si qua
subesset, qui est finis appellationis, *d. l. 1. ff. de appell.*

III. Similis ferè processus observatus fuit in causâ Eutyichis. Damnatus
is fuerat in Concilio Constantinopolitano, quod cum Episcopis quibusdam
celebraverat Flavianus Episcopus CP. Eutyches studio Chrylaphii Eunuchi
à Theodosio Imperatore obtinuerat, ut Concilium aliud Ephesi indiceretur,
in quo noluit Imperator, ut Flavianus & reliqui, qui in Concilio Constanti-
nop. Eutychen damnaverant suffragia ferrent, sed perinde ut iudices, à
quibus appellatum esset, se haberent. Idcirco in mandatis dedit Elpidio
Comiti sacri consistorii, ne eos inter judicantes deinceps admitteret. *His,*
inquit, qui pridem Eutychetis religiosissimi archimandrite iudices extiterunt,
presentibus quidem & tacentibus, nullum tamen judicantium habentibus locum,
sed communem aliorum omnium sanctorum patrum sententiam expectantibus: quo-
niam ea, quæ dudum ab ipsis iudicata sunt, nunc retractentur. Huic mandato ut
satisfaceret Elpidius in ipso Concilio, cum de causâ Eutyichis disputaretur,
& ex Flaviani parte nonnulla monerentur, hæc addidit verba: *Sacratissi-*
mus Imperator implens ipse primum ordinem legum, quarum est & inventor & cu-
stos, præcepit, qui dudum iudices fuerunt, in loco eorum esse, qui iudicandi sunt,
neque habere tempus docendi, neque fiduciam à vobis accipere. Ad ea ergo, quæ
nunc ab Archiepiscopo Flaviano dicta sunt, & hoc doceo, quia accusator quidem
suam accusationem implevit: & ut arbitratus est, vicit: & iudex accusatoris
causam jam in semetipso transtulit, sicut & in publicis sententiis custoditur. Nunc
igitur vos convenistis, ut eos, qui iudicaverant, iudicetis: non ut iterum accusa-
toris personam suscipiatis, & perturbationis iterum initium alterum fiat &c.

IV. Et hæc quidem tum temporis fuit ratio atque modus, emendandi,
si quis per sententiam Ecclesiasticam gravatum se diceret, etsi illa in Syno-
do à pluribus pronunciata fuisset, ut aliud novum peteretur alterius Synodi
iudicium. Celebris est admodum causâ Cæciliani Carthaginensis Episco-
pi, quem Donatistæ in Concilio Carthaginensi, numero septuaginta, vel
traditionis reum fecerant, vel saltem à Traditore ordinatum dixerant, &
ex hoc capite inauditum atque absentem damnaverant, substituerant au-
tem illico Majorinum, suæ sectæ fideissimum parastatam. Nihilominus
Con-

Constantinum, simulatque ille rerum potitus fuisset, adierunt Donatistæ, eumque libello adversus Cæcilianum exhibito commoverunt, ut novum instrueret iudicium. Nec tamen penetrare licet, cur istum procedendi modum elegerint Donatistæ. Certe mirum est, eos actum agere voluisse & iudices sibi novos dari petiisse potius, quam executionem rei iudicatæ urfisse. Constantinus, qui tum in extremis Galliarum finibus ad Rhenum versabatur, iudices constituit Miltiaden Episcopum Romanum, Maternum Agrippinensem, Marinum Arelatensem & Rheticium Augustodunensem, quos Romæ convenire voluit; litigatoris autem hunc præscripsit modum, ut Cæcilianus unâ cum decem Episcopis, qui accusatores ejus erant, & cum decem aliis, quos ipse ad suam causam necesarios esse judicaverit, in iudicio isto præsto essent, causam utrinque dicturi, uti legitur in epistola Constantini ad Miltiaden, quæ extat apud Eusebium *lib. 10.* Et hi quidem iudices cum aliis quindecim, quos ex Italiâ sibi adjunxerunt, Cæcilianum deinceps absolverunt, eumque in Episcopatu suo confirmandum statuerunt.

V. Talem verò sententiam indignè ferentes Donatistæ Constantinum denuò adierunt, prætentantes, quod eorum omnis causa non fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent & prout ipsis aptum fuerat, iudicassent, uti scribit Constantinus ad Æladium sive Ablavium, sive, quod à paucis dictæ sententiæ fuerint, atque hi ipsi non omnibus, quæ inquirenti oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum iudicium præproperè festinanterque processerint, uti scribit idem ad Chrestum Episcopum Syracusanum. Hanc verò eorum querelam per modum appellationis interpositam fuisse, testatur ipse Imperator in literis dimissionis ad Episcopos in Urbe Arelatensi congregatos, his verbis: *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes, minora interdum iudicia refugientes, ubi iustitia deprehendi potest, magis ad majora iudicia auctoritate interpositâ ad appellationem se conferre sunt soliti. Quid hi detractoris legis, qui reuertes cœlesti iudicium, meum putaverunt postulandum &c.* Ne ergò se non satis auditos & injustè condemnatos dicere possent importuni sollicitatores, admisit Imperator appellationem, ejusque cognitionem rejecit ad synodum Arelatensem à se propediem indicendam. Convenèrunt in istâ synodo Episcopi multo plures, quorum nomina recensentur *tom. 1. Concil. Gall. pag. 8.* & inter eos etiam tres illi, qui Romæ cum Miltiade Pontifice iudices fuerunt. Nec enim absurdum erit, concurrere iudicem prioris instantiæ in iudicando cum aliis, si hi longè plures fuerint, imò verò utile est sæpenumero ita fieri, ut de iustitiâ sententiæ jam latæ eò certiores fieri possint secundum iudicaturi.

VI. In hoc concilio causâ probè & sufficienter cognitâ denuò absolutus fuit Cæcilianus, damnatus verò Donatus hæreseos istius acerrimus

propugnator. Donatistæ verò stomachari & moleste ferre pergebant hæc Episcoporum judicia, quos omnes, ut suspectos traducebant, atque idcirco iterum Constantinum appellabant, ab ipso eo sententiam sibi magis proficuum expectantes. Major profectò quam antea causa rejiciendæ tam importunæ appellationis erat. Sed passus est Constantinus sibi persuaderi, ut instauraretur iudicium tantoperè desideratum, & ut ipse cognosceret. Romæ igitur dum consisteret, Cæcilianum & Donatistas ad se evocavit. Quò cum non occurrisset Cæcilianus interpellatus à Donatistis, qui comparuerant, Imperator, ut in contumaciam eum condemnaret, præcepit, ut Mediolanum se euntem sequerentur. *Tunc se aliqui eorum, verba sunt Augustini epist. 162. subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, ut jam statim atq; velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus custoditos fecit Mediolanum pervenire. Quò cum etiam Cæcilianus pervenisset, ipsum quoque, sicut scripsit, exhibuit; cognitâq; causâ quâ diligentia, quâ cautela, quâ provisione, sicut ejus indicant literæ, Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos judicavit. Sive ut ipse scripsit Imperator apud eundem Augustinum lib. 3. contr. Crescon. cap. 71. Pervidi Cæcilianum omni innocentia præditum, ac debita religionis sue officia servantem, eiq; ita ut oportuit, servientem.* Et tamen etiam de hoc iudicio per calumniam malitiamque criminatus deinceps fuit Parmenianus Donatistarum patronus, Imperatorem gratiâ corruptum fuisse, uti testatur idem Augustinus *contr. epist. Parmen. lib. 1. cap. 6.*

VII. Hæc omnia ex Optati Milevitani libro primo adversus Parmenianum & Augustini variis locis ideo adduximus, ut inde quasi per aphorismos discamus, causas Episcoporum sub iniciis Christianarum Rerum publ. in synodis disceptatas & decisas fuisse; istas autem synodos ab Imperatore convocatas coisse; tum, si per sententiam synodalem gravatus quis fuisset, eaque acquiescere nollet, appellare licuisse ad Imperatorem; hunc verò vel ipsum de causâ controversâ cognovisse, vel iudices alios delegasse; porro, etiam Pontifici Romano causam delegari ab Imperatore potuisse; & ab hujus sententiâ appellari nihilominus potuisse ad Imperatorem. Denique creditum eo tempore non fuisse, pontificem Romanum in causis Ecclesiasticis esse supremum iudicem, à quo nulla fieri posset provocatio, aut ulterior ab ullo alio iudice cognitio. Neque eum tam profundâ & infallibili pollere scientiâ, ut ipse solus cognitioni causæ sufficeret. Hodie sanè vix æquo admittet animo Pontifex Romanus, ut ab Imperatore sibi cum aliis causa committatur, utve, si in suo Consistorio causa semel decisa fuerit, alibi iudicium aliquod restauretur, atque ibi disceptatio renovetur. Sed aliud obtinuit olim in causâ Cæciliani, uti deduximus.

VIII. Nempe ita jus mosque tum fuit, ut nonnullæ Ecclesiasticorum causæ apud Episcopos primùm ventilarentur, & sic in foro quasi privilegiato prima earum disceptatio institueretur, postquam indecens visum esset, fora secularia quibusvis Clericorum querelis fatigari; nihilominus tamen, si parum justa putaretur sententia ab Episcopo aut synodo lata, ad judicia secularia provocare liceret. Præter ea quæ adduximus & alia plura, quæ passim prostant exempla, non obscurò id prodit constitutio in l. 20. C. Th. quor. appell. non recip. Chronopiùs enim ex antistite, cujus ibi mentio fit, à judicio septuaginta Episcoporum, qui eum exauctoraverant, ad præfectum Urbi provocaverat, & ab hoc secundùm condemnatus ad ipsum Imperatorem appellaverat. Quia igitur hoc tempore à præfecto Urbi appellare prohibitum erat, uti ostendit Jacobus Gothofredus ad l. 11. C. Th. de appellat. Valentinianus Imp. secundam istam appellationem recipere noluit. Imò nec ideò fortè secunda appellatio admissa fuit, quia de sufficienti in duobus diversis judiciis cognitione causæ dubitari non poterat, & hinc frivola planè credebatur interposita appellatio. Justinianus sanè novell. 123. cap. 21. disertis verbis id prohibuit, dum ait: *Si quis contra aliquem clericum aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam aut ascetiam habeat aliquam actionem: adeat prius sanctissimum Episcopum, cui horum unusquisque subiaceat: ille verò causam inter eos judicet, & si quidem utraque pars iis, quæ judicata sunt, acquieverit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ contradi. Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat iis, quæ judicata sunt, tunc locorum iudex causam examinet, & si invenerit judicium rectè factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat, quæ judicata sunt, & non liceat secundo in tali causâ victo appellare &c.* Exceperat autem Justinianus ipse in l. 29. C. de Episc. aud. causas merè Ecclesiasticas, quas noluit ad iudiciumulare ullo modo deferri, sed suas illis instantias reliquit apud Episcopos, Metropolitanos & Patriarchas: *Has autem actiones, inquit, §. 4. si quidem ad Ecclesiastica negocia pertinent, necesse fore jubemus, ut à solis religiosissimis Episcopis aut metropolitanis, aut à sacris Synodis, aut à sanctis Patriarchis cognoscantur.*

IX. Karoli Magni ætate ita comparata erant judicia Ecclesiastica, ut Clerici conveniri debuerint coram Episcopo dioceseos; ab eo verò appellatio fieret ad Metropolitanum, qui cum suffraganeis quibusdam suis causæ cognitionem iterabat, sed ita, ut concurrerent simul Comites ab Imperatore delegati, & ultima tandem cognitio ipsi Imperatori remaneret. Testimonium hujus rei extat in can. 6. Concilii Francofordiensis: *Statutum est à domino Rege & sanctæ Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de abbatibus, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis & cæteris clericis, vel etiam aliis in ejus parochiâ, veniant*

niant ad metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suffraganeis suis. Comitibus quoque nostris veniant ad iudicium Episcoporum. Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis Metropolitanis, ut sciamus veritatem rei. Ex quo patet, etiam Metropolitanum iudicium eo tempore succubuisse iudicio Imperatoris, etsi ille cum suffraganeis suis sententiam pronunciaisset.

X. Sed, uti dixi, accuratè discernendæ sunt causæ, quæ intentantur. Si enim Ecclesiasticæ fuerint, etsi & ipsæ à primis Imperatoribus Christianis quandoque iudicarentur, plerumque tamen in foro Ecclesiastico terminabantur. Et quia inter ipsos Episcopos, qui talium iudiciorum præfides erant, gradus erant constituti, ita ut alii Episcopi simplices, alii Metropolitanis, & alii patriarchæ dicerentur, ipsa etiam hinc eorum iudicia, tum quoad primam instantiam propter qualitates & dignitates reorum, distincta erant, tum etiam, si provocandum esset, per gradus exerceri oportebat. Constitutum erat in Synodo Chalcedonenſi *can. 9.* Ut clericorum causæ apud proprium Episcopum agerentur; Episcopus verò si reus fuerit, à provinciæ Synodo iudicetur; & tandem Metropolitanus apud exarchum dioceseos conveniatur. Inde natus appellationum ordo, ut de sententiâ Episcopi in secundâ instantiâ iudicaret Metropolitanus, & si porro provocatum fuerit, causa devolveretur ad primatem vel patriarcham. Clericus ergò ab Episcopi iudicio provocare poterat ad Metropolitanum, aut ad Synodum provincialem, & ab his ad Synodum majorem sive dicecesanam, sive, quod perinde est, uti statutum fuit *can. 28. in Cod. can. Eccles. African.* ad primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium. Concilium enim universale nomine concilium totius dioceseos Africae venit. Et hunc ordinem præscribit etiam Justinianus *d. l. 29. C. de Episc. aud.* ita ut patriarchale hoc iudicium supremum esse velit, à quo nulla ulterior detur provocatio. *Ita*, inquit, *quæ ipse (Patriarcha) iudicaverit, omninò parent (condemnatus) perinde ac si eum ab initio iudicem esset consecutus. Nam contra horum antistitum sententias non esse locum appellationi, à majoribus nostris constitutum est.*

XI. Quod ita de Ecclesiasticis causis constitutum fuit, trahendum non est ad causas Clericorum civiles, quas expressis verbis excipit Justinianus *d. l. 1.* ita tamen, ut illæ quoque in iudiciis Episcopalibus ventilari queant, si quidem ita ex consensu utriusque parti placuerit. Sed id ipsum etiam est ex concessione Imperatoris; cum prerogatio aliàs fieri non queat de causâ ad causam, si illæ non sint ejusdem naturæ, & genere summo tantum non convenient, quomodo criminales causæ ex prerogatione iudicari nequeunt ab eo, qui civilibus tantum præfectus est, & vice versâ. *l. 61. §. 1. ff. de iudic. l. 1. C. ubi caus. fiscal.* Neque id disimulat Justinianus, dum ait *d. l. 29. §. 4.* PATIEMUR,

MUR, ac si absque tali ejus permissione nulla Episcopis de causis civilibus competeret cognitio, & addit: *cum judicia civilia sint*, ad quæ scilicet propriè spectet istarum causarum disceptatio. Imò verò, ut rectius dicam, videtur iste partium consensus non tam prorogare jurisdictionem judicis Ecclesiastici, quàm arbitrum eum constituere, ut ille etiam in civili causâ, quæ ad eum aliàs non pertineret, judicis partes recipiat finemque suâ sententiâ controversiæ imponat. *l. 13. §. 2. ff. de recept. arb.* Imperator enim in *d. l. 29.* in nudis permissionis terminis subsistit, neque ullam judici Ecclesiastico confert potestatem dirimendi lites civiles. Si quis ergo jam in judicio Episcopali propter causam civilem victus fuerit, haud frustra quæritur, utrum provocare ei deinceps ad superius aliquod judicium liceat? Ego puto, provocationem hinc nullum habere locum. Observari enim, uti in aliis processibus articulis fieri solet, etiam hinc debet id, quod jure civili obtinet, ut non liceat appellare ab arbitrariis compromissariis, *arg. l. 3. C. de jurisd. omni. jud. l. 27. §. 2. ff. de recept. arb. l. 1. C. eod.* Atque sic etiam in Conciliis Africanis decretum fuit, *can. 15.* *Si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est, non liceat provocari.* Similiter *can. 96.* *Si autem fuerit provocatum, eligat, qui provocaverit iudices, & cum eo, & ille, contra quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Et porro *can. 122.* *A iudicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare &c.*

XII. Eorum, quæ diximus hactenus, summa hæc est, in judiciis Ecclesiasticis interpositas fuisse appellationes per gradus instantiarum, quæ ex gradibus Episcoporum & eorum jurisdictione resultabant, supremum autem judicium peractum fuisse in Synodo patriarchali, & ab hac prohibitam fuisse appellationem ulteriorem, cum nec superior in diocesi esset quisquam ex archo sive patriarchâ, neque diocesis una alteri, & sic nec patriarcha alteri subiectus esset. Invaluit tamen opinio, supra patriarchas omnes esse Pontificem Romanum, & sic non à patriarchis tantum cæteris & eorum Synodis, sed etiam ab inferiore iudice quolibet, ubicunque terrarum tribunal is suum habuerit, intermissis iudicibus intermediis quantiscunque ad Pontificem Romanum immediatè appellare licere. Quæ eam in rem congescit testimonia Gratianus *caus. 2. q. 6.* vel domestica sunt, vel dubia & apocrypha ex Sixti, Marcelli, Victoris, Zephyrini & aliorum epistolis. Ea tamen sententia tam altas radices egit in Regno pontificio, ut cum corruptelas inde resultantes in Concilio Tridentino bonâ fide recensisset Johannes Gropperus, illico contradictorem sibi inveniret Johannem Baptistam Castellum, consentientibus aliis, qui indignè ferebant, Curia Romanæ commoda atque axiomata ita in dubium vocari.

XIII. Asfertio hæc Ecclesiæ Romanæ à primâ suâ origine valde ambitiosa & periculosa visa fuit Patriarchis in Ecclesiâ Orientali existentibus, quod supremum quendam & universalem dominatum involvere censetur, quodque adeò invalida quæcunque sua decreta reddi nullo negotio possent, dum saltem ea minimè probarentur Pontifici Romano. Atque exinde dissensio maxima inter Ecclesias Orientales & Occidentales exarsit, ita ut deinceps planè contraria ederentur decreta, & concilia conciliis, canones canonibus frequentissimè opponerentur. Pontifices scilicet occultâ viâ & per cuniculos grassabantur, atque per has clancularias artes ad sedis suæ dignitatem, honorem, auctoritatem promovendam dies noctesque laborabant, nec putabant tamen tam immanem & portentosam eam futuram, qualis extitit temporibus insequentibus, quæve vel tacito hominum nihil tale cogitantium consensu accessit, vel invitis etiam & repugnantibus extorta fuit. Patres autem & Episcopi Ecclesiarum Orientalium id animadvertentes maculæ resistenter aliquando, neq; *ωδυνήσαντες* illam ferre poterant, donec ipsi sub grave servitutis jugum redacti, omnipotestate suâ exuti fuerunt. Controversia autem ista, quâ diximus tam diu vexatas fuisse Ecclesias, de appellatione scilicet ad Sedem Romanam, agitata præcipuè fuit seculo ineunte quinto, & quidem inter ipsas Ecclesias Occidentis, Romanam scilicet & Africanas. Origo ejus paulo altius repetenda est.

XIV. Damnatus erat in Concilio Tyrio Athanasius, eamque sententiam deinceps anno CCCXL. confirmaverunt Episcopi in Concilio Antiocheno congregati. Neve illi, quod videbatur minari, apud Episcopum Romanum, præsidium aliquod superesset, conditi simul sunt in isto Concilio aliquot canones, causam ejus obliquè ferientes: quartus scilicet undecimus, duodecimus, decimus quartus, præcipuè verò decimus quintus, cujus verba digna sunt quæ hic legantur: *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus ab omnibus provincie Episcopis condemnatus fuerit, omnes unam consentientem adversus eum sententiam tulerint, is ne amplius ab aliis judicetur: sed provincie Episcoporum firma maneat sententia.* Supremum ergo judicium, in quo Episcoporum causas disceptari oportebat, fuit Concilium uniuscujusque provincie. Atque idem jam ante in Concilio Nicæno *can. 5.* decretum fuerat. *Prudentissimè enim justissimeq; viderunt* istius canonis conditores, *quæcumq; negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: Nec unicuiq; provincie gratiam Sancti Spiritus de futuram:* uti scribunt Patres Africani in *epist. ad Cælestinum Papam.*

XV. Athanasius nihilominus Romam ad Pontificem Julium I. confugit, qui convocatâ synodo cum quinquaginta Episcopis (preterò decreto Orientalium eum in communionem recepit, atque innocentem pronunciat).

ciavit. Idque cum per Gabianum Comitem missa epistolâ Orientalibus denunciasset, simulque perversa eorum judicia exprobrasset, illi mox aliâ Antiochiæ indictâ synodo anno Christi CCCXLIII. de communi omnium sententiâ conscriptis literis Julium acrius perstrinxerunt, criminis loco obijcientes, quod cum Athanasio à se excommunicato communicasset, quodque ipsorum synodus hâc ratione contumeliâ affecta, & judicium omninò nullum esset. Idque facinus, ut injustum & ab Ecclesiasticis legibus alienum reprehenderunt, uti refert Sozomenus *lib. 3. cap. 8.* Hanc ergò ut indubitata & jam ante per canones firmatam regulam objecerunt Julio, res in Oriente judicatas retractari non posse in Occidente, nec è contra. Sic enim juxta eandem regulam antecessores suos approbatione suâ confirmasse damnationem, quæ in Occidentali synodo adversus Novatum decreta fuisset.

XVI. Cùm ita dissentirent inter se Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum Episcopi, & manifestum inde schisma metuendum esset, Constantinus & Constantius Imperatores, ut tempestivè id caverent atque averterent, sive implorati sive sponte suâ auctoritatem interposuerunt, & de synodo Oecumenicâ eam in rem habendâ consilia inierunt. Ex communi consensu utriusque Imperatoris placuit, ut tam Orientis quàm Occidentis partium Episcopi constituto die Sardicam convenirent, quæ Urbs est Illyrici. Convenèrunt igitur tam ex Occiduis quàm Orientis partibus Episcopi centum & septuaginta. Orientales autem conjungi Occidentalibus & cum eis concilium constituere noluerunt ante, quam isti Athanasium rejecissent, & Orientalium Synodorum de eo habitatum decretis suum robur reddidissent. Quod cum facturos se negarent Occidentales, illi Philippopolin secesserunt, ibique suas actiones seorsim & Occidentales Sardicæ suas seorsim nullâ factâ communicatione continuarunt. Ex eo autem patet, intentionem Imperatorum fuisse, ut Oecumenicum celebraretur concilium, quanquam ab illis numerus fortè Episcoporum ex utrâque parte certus & æqualis definitus esset, sed intentione hâc suâ excidisse, dum propter secessum Orientalium haudquaquam ad spem eventus respondit.

XVII. In Concilio hoc Sardicensi, quod in annum CCCXLVII. incidit, ab Episcopis Occidentalibus tale conditum est decretum *cap. 3.* Osius Urbis Cordubæ Episcopus dixit: -- -- *Si quis Episcoporum in aliquo negotio condemnari visus fuerit, & existimet se non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium renovetur, si vestra dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, & de iis, qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo, ut per propinquos provincie Episcopos, si opus sit, judicium renovetur & cognitores ipse prebeat.* Et porro *cap. 4.* *Si quis Episcopus judicio Episcoporum,*

Uuuuu 2

qui

qui sunt in vicinâ, depositus fuerit, & dicat rursus sibi responsionis negotium competere, non prius in cathedram ejus alius substituatur, quam Romanus Episcopus causâ cognitâ sententiam tulerit. Et iterum cap. 5. Si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Episcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanum Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari, illis Episcopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui provincie, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis persuasione de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopo judicare visum fuerit, à proprio latere presbyteros mittat, ut sit in potestate ipsius Episcopi, quod rectè probaverit & statuerit oportere, eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, à quoniam missi sunt: & hoc pondum est. Si autem ad rei cognitionem Episcopi etiam sententiam sufficere putaverit, faciet, quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur. Responderant Episcopi: *Quæ dicta sunt, placuerunt.*

XVIII. Canones hi in ipsis Occidentalibus Ecclesiis ineunte seculo V. turbas dederunt. Apiarius presbyter ab Episcopo suo Siccensi Urbano in Africâ excommunicatus & gradu motus ad Romanum Pontificem, qui tùm erat Zosimus, se contulerat, & ab eo redditus communioni fuerat. Zosimus deinde in Africam misit Faustinum Episcopum Potentinum è Piceo & Philippum ac Afellum presbyteros, qui appellationem ad se factam & restitutionem Apiarii tuerentur, simulque persuaderent Afris, causis inde ab eorum Conciliis per appellationem ad Sedem Romanam justè devolvi, neque refragari Episcopos Africanos posse, quandoquidem in Concilio Nicæno ab omnibus Catholicis recepto ita definitum esset. In ejus rei fidem Zosimus in commonitorio, (ita appellabant mandata legatis in scriptis data) adduxerat dictum canonem quintum Sardicensem eumque pro Nicæni Concilii canone venditaverat. Africani Episcopi, eùm in Codicibus suis, quos penes se habebant, inter canones Concilii Nicæni non invenirent istum, ad quem provocaverat Zosimus, eùm dubii de eo redditi essent, responderent Zosimo, & ad eundem modum eo defuncto Bonifacio successorì, velle se interim canonem istum ut genuinum custodire, debere autem eam in rem accuratius inquiri, & ab Episcopis Constantinopolitano, Alexandrino & Antiocheno evolvi exemplaria Canonum, quæ apud illos reservarentur authentica, ut de veritate decreti adducti certiores reddi possent. Eousque enim rem quasi in suspenso relinquunt, ita tamen, ut quod illo contineri aserebatur, propemodum admittant. Sed addunt nihilominus: *Quæ si ibi, quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex Apostolica sede directi commonitorio allegaverunt, continerentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nulla modo nos talia, qualia commemorare jam*

jam nolimus vel tolerare cogemur, vel intolerabili pateremur. Sed credimus adjuvante misericordia Domini DEI nostri, quod tuâ sanctitate Romane Ecclesiæ presidente non sumus jam istum typhum passuri, & servabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non differentibus custodiri debeant Sc. Epistola legitur ad calicem Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ.

XIX. Postquam ab Episcopis Constantinopolitano & Alexandrino transmissa fuissent Concilii Nicæni exemplaria authentica, & ne vestigium quidem canonis istius, quem adduxerat Zosimus, in iis inveniretur, manifestum inde redditum fuit, fucum è Romana curiâ esse factum, & pro Synodo Sardicensi parum celebri, & ab Occidentalibus tantùm Episcopis quibusdam celebratâ Nicænam generalem, cujus auctoritatem Africanis in dubium vocare non liceret, substitutam fuisse. Sardicensis autem Synodus ad Nicænam referri ideò non potest, quia recentior est illâ annis viginti duobus, & ejus decreta in Codicem canonum Ecclesiæ universæ recepta nunquam fuerunt. Postquam igitur callida ista Pontificis Romani machinatio detecta esset, ut typhum istum reprimerent, Patres Africani hoc pleno concilio ediderunt decretum: *Placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos desintant adhibiti ab eis Episcopi: quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.* Canon hic est vigesimus octavus in Cod. Can. Eccles. African. quem etiam Gratianus suæ compilationi inseruit c. placuit 2. q. 6. sed cum insertione verborum: *nisi forte Romanam Sedem appellaverint*, quæ intentioni Afrorum planè contraria sunt, & ex lege eximunt, propter quod unum lex lata est. Quas verò interpretationes hic faciunt Bellarminus, Baronius, Binius & alii, *κρίσις* sunt *ἡ λήρη*, verba per se clara & perspicua inflectentes & in alienum planè sensum intorquentes.

XX. Axioma hoc Pontifici Romano competere dum negarunt Africani, qui partem Ecclesiæ Occidentalis constituebant, multo minus approbati id potuit ab Episcopis Orientalibus, quippe qui jam ante conditum pro se habebant Canonem Antiochenum supra adductum, cui insistebant, quoties eâ de re disceptatio instituta esset. Interim verò cum viderent, *αὐτονομίαν* & principatum affectatum in Ecclesiâ Romanâ quotidie novas accipere vires, & alia atq; alia sensim induci *πρεσβύμια*, ipsi quoque, ut Ecclesiam Constantinopolitanam ad eandem dignitatem atque gloriam evererent, omnem moverunt lapidem. Ut enim civitates æmulæ erant inter

Uuuuu 3

se,

se, ita & Ecclesiæ. Et quia Constantinopoli nova Roma erat atque dicebatur, parem eam Romæ veteri uti imperio ita sacerdotio esse volebant Græci. Ideoque anno CCCXXCI. in Concilio Constantinopolitano I. quod sub Theodosio M. celebratum est, Episcopo Constantinopolitano τὸ πρῶτον ἡ πόλις post Episcopum Romanum decreverunt, ut primus scilicet esset omnium Episcoporum, & soli Romano secundus. Sed honoris tantum erat hæc collatio, potestatis autem penè nulla. Quapropter, ne inferior ille esset Episcopo Romano, parem ei deinceps anno CCCGLI. in Concilio Chalcedonenfi, in omnibus prærogativam & in rebus Ecclesiasticis administrandis auctoritatem tribuerunt, ac per omnia sedem Constantinopolitanam sedi Romæ exæquarunt. Similiter igitur & provocationem ab omnibus patriarchis Orientis Patriarchæ Constantinopolitano decreverunt, quia hoc jure uti videbatur Episcopus Romanus, cui appellationes Episcoporum ex toto Orbe Synodus Sardicensis censuerat.

XXI. Canon nonus Concilii Chalcedonenfis hic est: *Si quis Clericus cum Clerico litem habuerit, proprium Episcopum ne deserat, sed ad secularia iudicia ne excurrat. Sed prius causam agat apud proprium Episcopum: vel certe de Episcopi sententia apud eos, quos utraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subjiciatur. Si autem Clericus cum proprio vel etiam alio Episcopo litem habuerit, à provincie Synodo iudicetur. Si autem cum ipsius provincie metropolitano Episcopo vel Clericus controversiam habuerit, diœceseos exarchum adeat, aut regie Urbis Constantinopoleos sedem & apud ipsam iudicetur.* Liberum scilicet cuius relinquitur causam suam contra metropolitanum aliquem vel apud Exarchum diœceseos ἐξ ἀρχῆς τῆς διοικήσεως, illius scilicet diœceseos, cui metropolitanus subjectus est, vel apud Sedem Constantinopolitanam in iudicium deducere. Eodem pertinet canon decimus septimus ejusdem Concilii. Et de hoc privilegio gloriatur Aristenus, quod nemini patriarcharum aliorum tale concessum fuerit, nec à canonibus nec à legibus, ut Metropolitanus, qui uni subjacet patriarchæ, ab alio iudicaretur, nisi soli Constantinopolitano.

XXII. Græci semper Chalcedonensem Synodum ut telum validissimum Latinis opposuerunt ad vindicandam Episcopo Constantinopolitano eandem prorsus circa Episcoporum appellationes prærogativam, quam sibi Romanus vindicabat. Quinimò venditarunt, fortiolem hæc in parte causam videri Constantinopolitani quàm Romani Episcopi: Sardicense quippe Concilium, quod de appellatione Episcoporum ad Sedem Romanam dirigendâ sanxit, non fuisse Oecumenicum, Chalcedonensem verò Synodum, quâ idem hoc jus privilegiumque Constantinopolitanæ Sedi tributum est, Oecumenicam fuisse. Græci enim Sardicense istud Concilium pro Oecumenico nunquam habuerunt, nec habere poterant, quia ab Occi-

dentalibus folis Episcopis celebratum fuit, postquam Orientales Philippopolin discesissent. Quod igitur Sardicæ constitutum fuit, restringi debuit ad solam Occidentalem Ecclesiam, cui parem deinde fecerunt Græci Ecclesiam suam Constantinopolitanam. Atque idcirco Theodorus Balsamon privilegium hoc Episcopi Romani circa appellationem Episcoporum non proprium esse scribit, sed commune illi cum Patriarchâ Constantinopolitano: *Que autem de Papâ definita sunt, inquit, eadem de Patriarchâ quoque Constantinopolitano sunt intelligenda, quod is à diversis canonibus similiter ac Papa sit in omnibus honoratus, ad can. 3. Et porro ad can. 5. Quia autem in prioribus canonibus diximus, non esse que de Papâ constituta sunt specialia ejus solius privilegia, ut necesse habeat quivis condemnatus Episcopus ad Sedem Romanam accedere, sed etiam apud Sedem Constantinopolitanam exaudiri, eadem quoque rursus dicimus.*

XXIII. Illustrissimus Archiepiscopus Petrus de Marca juris Canonici veteris & novi scientissimus, cum vidisset, parum proficere Interpretes in sustinendis canonibus Sardicensibus, *lib. 7. cap. 3. de Concord. Sacerd. & Imp.* in illis vocabula appellandi & provocandi improprie sumi, nec de verâ appellatione, sed de retractatione aut revisione ibi agi contendit, eamque interpretationem se ab Hincmaro Rhemenfi Archiepiscopo didicisse ait. Est verò hoc extra dubium, inter appellationem & revisionem, si ex arte Juris loqui velimus, ingens esse discrimen, de quo consulendi sunt eorum commentarii. Non videtur tamen mihi distinctio ista ad præsentem materiam commodè applicari posse. Enimverò, etsi variet processus revisionis & diversimodè se habeat pasim locorum, conveniunt tamen Doctores in eo omnes, revisionem non nisi à Principe impetrari debere, h. e. ab eo, qui in Regno & territorio suo summam habet ordinandorum judiciorum potestatem, & à cujus directione judicia tam majora quam minora dependent. Quâ de re videri inprimis possunt Camillus Borellus *tom. 2. decis. 34. n. 65. seq.* Marius Giurba *decis. 35.* Alvar. Valasc. *consultat. 51.* Joh. Bapt. Costa *remed. subsid. 23.* Eaque potestas Principi competens extra territorium, quod ejus proprium est, se non extendit. Si igitur Pontifici Romano competeret potestas concedendi beneficium revisionis in causis illis, quæ apud Africanos & Orientales Patriarchas judicatæ sunt, statuendum erit, judicia tum Africana tum Orientalia à Pontificis Romani dispositione & directione dependere, quod tamen negarunt hæcenus Episcopi tum Afri, tum Orientales. Certe Orientales eo tempore, quo Concilium Sardicense celebratum fuit, tantam Romano Pontifici auctoritatem tribuere noluerunt, ut eam suâ superiorem, suaque judicia ab illo reformari debere crederent. Julium, qui tum temporis Romanam sedem tenebat, vocarunt principem & ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis

tis atq; damnatis aperuit, ceterisq; aditum fecit ad solvenda jura divina. Uti legitur in eorum epist. synodali ad Donatum Carthaginensem scripta, quâ ipsa eundem Julium cum aliis ei consentientibus damnarunt & excommunicarunt. Inter alia eis exprobrant, quod novam legem inducere putaverint, ut Orientales Episcopi ab Occidentalibus judicarentur, & quod sese iudices iudicum constituere & Orientalium sententiam refricare voluerint, itemque quod hanc novitatem moliti fuerint inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi, quicquid fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricarentur, similiter quicquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur.

XXIV. Debet ergò revisio peti & impetrari ab eo, cui ejus concedendæ potestas competit, ille ipse scil. qui est iudiciorum omnium in suo Regno supremus Director, & ad quem appellationes ultimæ omnes referendæ sunt. Imò verò confidenter assero ab eo revisionem concedi non posse, ad quem appellatio fieri non possit, ut maximè appellare ad eum semper & in omni casu non liceat. Necessario debet ille, qui revisionem admittit, quoad qualitatem intrinsecam habilis esse, ut ad eum fieri queat appellatio, etsi hæc in actu secundo quandoque prohibita sit, eò, quod prohibitio ista ab ipso illo, ad quem appellatio fieri deberet, facta sit. Quod enim à præfecto prætorio, à senatu, & ab aliis Ordinibus appellare non liceat, id non fit ex defectu ejus, qui τὸ κύριον tenet in Rep. sed ex privilegio ab ipso illo, qui τὸ κύριον tenet, concessio, sine quo appellatio optimo jure locum haberet. At verò Episcopi Ecclesiæ Orientalis nunquam admiserunt κύριον illud, quod Episcopus Romanus in Ecclesiâ universali se habere jactitat, neque concedent unquam, privilegium de non appellando ad Pontificem Romanum ipsi illi acceptum ferendum esse. Tantum abest, ut revisionem in suis iudiciis ab illo decernendam admitti fuisse. Nec ulla igitur apparet ratio, quæ appellationem quidem in hoc negotio repudiet, revisionem autem admittat, cum hoc ipsum in genere ab Orientalibus Episcopis improbatum fuerit, quod Occidentales iudices iudicum sese constituere voluerint.

XXV. Quod si omninò, deficiente appellatione, revisionis aliquod remedium in negotiis Ecclesiasticis statuendum fuerit, rectius istud à Principe impetrabitur, quippe ad quem etiam appellationes olim fieri solebant. Etsi enim post Constantini tempora difficulter admitterent Episcopi, si quis ab eis condemnatus ad Imperatorem provocasset, idque admodum ægrè ferrent, uti haud obscurè colligere licet ex Concilii Antiocheni *canone 12.* Si tamen provocatio istiusmodi interposita fuisset, soliti fuerunt Imperatores hunc procedendi modum præscribere, ut in majore synodo ex pluribus Episcopis constante iudicium resuscitare, & causam denuò ad examen re-

vocate

vocare necesse esset. Ipsum illud, de quo ante diximus, Concilium Sardinense hâc intentione congregatum fuit. Damnatus erat Athanasius in Concilio Tyrio, Antiocheno, & Constantinopolitano ab Episcopis Orientalibus, restitutus verò in Synodo Romanâ à Papâ & Episcopis Occidentalibus. Imperatores, qui tùm rerum potiebantur, majorem synodum ex utrisque tùm Orientalibus tùm Occidentalibus Episcopis collectam cupiebant. Et convenerant utrique, sed infelici successu & exitu, quod utraque pars decretis suis insisteret, & indignè ferrent Orientales, Athanasium & cæteros à se damnatos in cœtu Occidentalium videri, & inter eos tùm sacris, tùm deliberationibus adhiberi. *Julius*, ajunt, in epist. Synod. Urbis Romæ Episcopus, *Maximus* & *Osio* ceteriq; complures ipsorum Concilium apud Sardicam fieri ex Imperatoris benignitate sumpserunt: occurrimus ad Sardicam literis Imperatoris conventi, quo cùm venissemus, didicimus in media Ecclesiâ Athanasium Marcellum omnes sceleratos Concilii sententiâ pulsos & meritò singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Osio & Protogene sedere simul & disputare, & quod est deterius, divina mysteria celebrare. Nihilominus ut aliquam imaginem iterandi iudicii ostenderent, seque promptos & paratos ad repetendum id, quod olim in disceptationem venit, simularent, & hâc ratione Imperatorum desideriiis aliquo modo satisfacerent, obtulerunt Occidentalibus hanc conditionem, ut ex utrâque parte delegati quidam mitterentur in Ægyptum, qui Athanasii facinora explorarent, & dehinc neutra amplius molesta esset Imperatoribus. *Altercantibus igitur nobis*, ita pergunt in d. epist. emerferunt quinq; Episcopi ex partibus nostris, qui superstites de sex to numero eorum, qui ad Mareotam directi fuerant, remanserant, & talem illis optionem proponunt: mittendos esse ex utroque Concilio Episcopos aliquos ad loca, in quibus Athanasius scelera flagitiisque commisit, ut sub testificatione DEI cuncta fideliter scriberent: & si falsa inventa fuerint, quæ Concilio nunciavimus, ipsi damnemur, nec Imperatoribus nec Concilio nec cuiquam Episcopo conquæramur. Quod si verum constiterit, quod ante diximus, ad numerum nostrum ex vobis quod delegistis, id est, qui Athanasio post damnationem communicaverunt, sed & eos qui Athanasio & Marcello fautores defensoresque sunt exponamus, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo aliqui vestrum conquærantur.

XXVI. Verba hæc probant, non unâ vice, sed sæpius in eâdem causâ imploratos fuisse Imperatores ab illis, qui gravatos se putarunt. Idque etiam ex praxi ejus temporis constat, uti supra ostendi. Et sufficiebat quidem recursus, uti quibusdam dicitur, ad Imperatorem qualiscunque, sive is fieret per modum appellationis, sive per simplicem implorationem & supplicationem, ad quam revisio concederetur. Neque excipere tùm poterant Episcopi, de synodalium suorum decretorum autoritate, quod ea convellere non liceret, quandoquidem superior adhuc erat Imperatorum

XXXXX

auto-

autoritas, cui illis invitis derogare nulli licebat. Indeque factum, ut per inhibitionem Imperatorum sententiæ synodales suspenderentur quandoque ab effectu & executione. Ita e. g. cum damnatus fuisset Nestorius noti nominis hæreticus, non in Romanâ tantum synodo à Cælestino, sed Alexandrinâ etiam à Cyrillo, Theodosius Imperator, qui majorem Synodum Oecumenicam, ut repeteretur judicium, convocaverat, ne futuræ cognitioni præjudicium inferretur, sententiam utriusque synodi suspensam voluit. *Ceterum, ait Theodosius, ante sanctissimam coactam synodum, communemque ejusdem, que de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in nullâ prorsus re privatim à quoquam innovetur.* In ejusmodi judiciis sive appellationis sive revisionis causæ cognitio à capite, sive imis radicibus repetebatur, neque quid omittere fas erat, quod quoquo modo ad sententiæ retractationem faceret. Ideo profitentur Catholici in Concilio Sardicensi *epist. synodal. 1. Tria fuerunt, que tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permisérunt, ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia de sancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secundo de personis, quos dicebant esse dejectos de iniquo judicio, ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio &c.*

XXVII. Adjunxerunt Imperatores in ejusmodi novis judiciis quandoque Comites suos, qui unâ cum Episcopis de causâ cognoscerent, & Imperatoriâ autoritate cum eis judicarent. Ita e. g. de Photino, qui ab eadem Synodo Sardicensi damnatus fuerat, refert Epiphanius *hæres. 71.* implorasse eum Constantii Imperatoris interpositionem, & obtinuisse ab eo, ut aliud novum in causâ suâ institueretur judicium; ad illud verò, quod Sirmii deinceps conditum fuit, delegatos fuisse Comites octo Consiliarios Imperatoris, eosque unâ cum Episcopis sententiam Sardicensem confirmasse. Verba Epiphanius hæc sunt: *Post illam defensionem ipsius tunc in Sardicâ factam, quando ab Episcopis vocatus fuit ad reddendam rationem de malignâ à se propositâ fide impetravit à Constantio, veluti qui frustra depositus esset, ut rursus acciperet auditores, coram quibus demonstraret, se frustra depositum esse. Unde Rex illo tempore admisit iudices & auditores scæ futuræ purgationis, Thabassium & Dacianum & Cergalium & Taurum, & Marcellinum & Evantium, & Olympium & Leontium, Basilio Ancyrano ipsum interrogante & contradicente his, que ipse defensurus & admissurus esset &c.*

XXVIII. Cæterum, quod de Africanis Ecclesiis diximus supra, haud placuisse illis appellationem à decretis suarum synodorum ad Pontificem Romanum factam, idem etiam in Gallicanis Ecclesiis obtinuit, quippe, quæ nec illud quidem concoquere poterant, quod à Romanâ curiâ doceri cepit, Episcopum sine consensu Pontificis Romani deponi & gradu moveri non posse. Et de doctrinâ hâc atque principio ejusque fundamento cum du-

bium

bium aliquando ex ortum fuisset, lubricum id esse, ut sublestæ fidei apparuit. Nicolaus I. Pontifex, qui seculo IX. Romanæ Ecclesiæ præfuit, valde laboravit pro ampliandâ suâ jurisdictione, adeo ut Græcos etiam reluctantes hætenus & acerbè contradicentes occasione schismatis inter Ignatium & Photium aborti, regimini suo subijcere conatus fuerit. Peropportune similis ei materia ex Ecclesiis Gallicanis, quæ suo jure vivebant, & comiter servabant autoritatem Romanæ Sedis, præbita fuit. Herimannus Episcopus Nivernensis mentis quâdam cæcitate quandoque laborabat, eaque agebat, quæ Episcopo indigna erant, totumque Ordinem Ecclesiasticum dehonestabant. In Concilio Suesionensi II. quod præfente Carolo Calvo Rege habitum fuit, cap. 2. jubetur ejus Metropolitanus Wenilo, Senonensis Archiepiscopus, eum penes se per æstivum tempus custodire, ut sanitati deinceps restitutus ad Ecclesiam suam remitti posset. Wenilo autem alienior ab eo videtur fuisse, & maluisse eum remotum, dissentientibus licet Episcopis suis suffraganeis. Itaque aliâ viâ rem aggressus, Pontificis Romani opem imploravit; sed quia de hujus autoritate in hoc negotio dubium moveri poterat inter Episcopos suos comprovinciales, ut eos in sententiam traheret, à Pontifice simul petiit, ut suam istam autoritatem ex authenticâ Melchiadis epistolâ, quæ unicum ejus fundamentum esset, sed quam hætenus propter dubiam fidem nonnulli admittere noluisent, comprobare ne recusaret. Literæ ad Pontificem Nicolaum communi ejus & suffraganeorum nomine conceptæ, leguntur hodiè in calce epistolarum Servati Lupi n. 130. Dicitur autem Melchiades Papa decrevisse, ne quis unquam Pontifex sine consensu Papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipsius confirmati aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi Episcopo incommodo simili laborante sequamur, aut sicut Gelasius docet removendus sit mente percussus.

XXIX. Epistolam istam non esse integram, sed deficere nonnulla, ex responsione Nicolai, quæ extat tom. 3. Concil. Gall. p. 187. colligitur. Maxime autem jucundam Pontifici, atque intentioni ejus valde opportunam hanc accidisse epistolam ex ipsâ illâ responsione patet, quâ magnificis verbis hoc eorum consilium extollit, utque ad Romanam Sedem causas ejusmodi referre pergant, accuratissimè monet. *Antequam, inquit, ad consulta vestra mentis oculum inclinemus, parumper in laudibus vestris stilum operæ precium duximus immorandum: qui quod vobis eundum, quo ve in rebus dubiis atq; in magnis Ecclesiasticis negociis esset accelerandum serenitatis visibus prævidistis, humilibusq; devotionis vestræ passibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi Apostolorum Principis Petri, ejusq; Successorum luculentissimam doctrinam, sedemq; spernentes, quem DEI filius in sanctâ Ecclesiâ suâ, tanquam luminare majus*

in cælo constituit, veluti quidam scorpiones palantes incedunt in meridie, & cum adhuc dies est, occidit eis Sol. Revera ii & per scientiam DEI more Balaam apertos habent oculos: cadunt tamen, quia obcecati instar ipsius avaritia, quò tendere gressum possint justitiæ, non adspiciunt, sed per abrupta & avia incedentis, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demerguntur. Vos autem, fratres charissimi, qui sancto utiq; spiritu revelante, Apostolica sedis auctoritatem sensu capere & ad splendorem luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usq; in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate, ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis &c.

XXX. Ipsa Orationis architectura & conquisitus verborum apparatus Pontificis intentionem & affectum, quem ex hoc negotio concepit, ubique prodit. Episcopus Senonensis provinciæ laudat ita, ut haud obscure perstringat eos, quos dissentientes fuisse, & huic consultationi contradixisse haud vanâ præsumptione opinatus fuit. Utve suæ, datâ tam opportunâ occasione, non deesset ambitioni, & potestatem, quam sibi arrogabat, ampliaret magis, ad id, de quo quærebatur, non respondit, cum tamen consilium tantum, & quid ipse de isto negotio statueret, expetitur esset, sed causam ad suum judicium trahere maluit, sub prætextu isto, quod Herimannus damnari aut removeri à se inauditus non posset, existimans, posse se hâc ratione judicia Gallicana suæ sensim subicere potestati, suoque adeo arbitrio atque examini illorum decreta submittere. Petitur Wenilonis & suffraganeorum ejus hoc erat: Quò verum absq; dubietate sciamus, expetimus & expectamus vestrum judicium: ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deseramus. Quid ad hoc Pontifex? Judicatis, inquit, illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere procul dubio non possumus. Quamvis nec usq; adhuc, qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sanæ erat mente idem Antistes, nec ne, cum ipsos excessus perpetrabat, evidenter ostenderit &c. De Melehiadis autem epistolâ, cujus *adversiones* sibi ostendi petierant Episcopi Senonensis provinciæ, ne verbum addidit, idè scilicet quia ostendi illa nullo modo poterat, quippe quæ hoc ipso seculo cum aliis primorum Pontificum epistolis prodierat primum, & à nequissimo homine conficta Isidorum compilatorem mentiebatur. Etsi verò non perspicuè satis & apertè causam Herimanni apud se tractari deinceps debere, Pontifex asserat, colligere tamen id ex ipso verborum contextu cuivis licet. Et hanc ejus sententiam manifestam magis facit fragmentum, quod in *supplem. Concil. Gall. pag. 166.* edidit Petrus Delalande, suæque compilationi inseruit Gratianus c. *revera 3. q. 9.* Volumus & auctoritate Apostolicâ monemus, ut si pres-

presbyter, de quo agitur, post excommunicationem suam, apostolicam Sedem adire voluerit, nullus iter ejus impedire praesumat.

XXXI. Progressu temporis feliciores successus habuit ista Pontificum Romanorum ambitio, & admissæ fuerunt in Galliâ tandem appellationes ad sedem Romanam. Incommoda tamen, quæ ex eis nascebantur, serius deprehensa fuerunt, quæ propterea varias excitarunt querelas. Dolet Ivo Carnotensis in epistolâ ad Leodegarium Archiepiscopum Bituricensem, quæ est 180. molestiam ei per ejusmodi appellationem creatam fuisse in causâ Arnulfi Virfionensis: Unde nuper contigit, inquit, ut audivimus, durâ eorum obstinatione causam Arnulfi Virfionensis in Curia vestrà ita esse exasperatam, ut in eadem causâ factò judicio sedes Apostolica sit appellata, & definitiva ejusdem cause sententia usq; ad Apostolicam sententiam sit dilata. Quod quanta sit vexatio, quanta rerum expensa, quam incertus negotiorum exitus, tam experimento in vestris negociis didicistis, quam ex aliorum causis audistis. Dato deinde consilio concludit: Ita appellatio, quæ in curiâ vestrà facta est sine vestrà vel vestrorum vexatione ad nihilum redigetur. Vexationem vocat istiusmodi appellationem, quod vocabulum optimè exponit Agellius lib. 2. not. Attic. c. 6. Cumque sibi ipsi id contigisset, ut causa à se decisa Romam avocaretur, dolorem eâ de re suam epist. 219. Paschali Pontifici hunc in modum exposuit: Ne de cetero Ecclesia hæc vanâ occasione perturbetur, flexis genibus cordis paternæ pietati supplicamus, ut causam, quæ semel decisa est, propter cupidorum & malevolorum delationem non iteretis, & pacem, quam nunc habet Ecclesia non tantum non concutatis, sed etiam debito paternitatis affectu collaudetis & de cetero senectutem meam propter superfluam & impunitam appellatorum licentiam vexari non permittatis. Dum enim premit nos à prelatâ potestate illata adversitas, regendi in nobis debilitatur auctoritas, cum Ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam adversum nos appellant, non confidentiâ justitiæ, sed pro dilatione sententiæ. Quod si juvenili vigore possemus adhuc peditare per ruinosas alpium vias, equitare per præcipites prætersuentium torrentium undas, & præcedere aut subsequi ad Apostolicam sedem delatores nostros, procul dubio refrenaret se murmurantium lingua, quæ parum adhuc novit, quid distet inter serenitatem charitatis & caliginem cupiditatis. Si ergò aliquod temperamentum adversus hæc incommoda non procuraveritis, & inveteratis dierum malorum & indisciplinatis juvenibus, qui vix sunt digni habere, quæ habent, nedum ambire quæ non habent, vexandum me exposueritis, unum restat mihi tutum &c.

XXXII. Consimili modo Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, qui sub initium seculi duodecimi floruit in epist. ad Honorium Papam, appellationes tales acriter perstringit, illisque ait plantari in horto Domini toxicum mortis, quo subventus afflictorum moritur, pontificalis vigor elangvet, justitiæ parsimonia in nihilum revertitur, incrementum autem suscipit

cipit ubertas delictorum. Sed & Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in *tractatu de concilio celebrando*, quem jussu & auctoritate Clementis V. edidit, tit. 23. quaerenda esse ait remedia, *ne tam temere Prelati & Episcopi infamentur, & ad Curiam Romanam trahantur*. Et lib. 3. tit. 31. omnium malorum causam esse ait, *quod Papa & Romana curia omnium jura ad se trahat, rapiat & evertat*. Quod & suo tempore agnovit Johannes Petrus de Ferrarius Jctus Papiensis, dum in *Practica sua* tit. 21. gloss. 8. cum proposuisset doctrinam juris Canonici, secundum quam liceat quocumque omisso iudice medio illico ad Papam appellare, subjungit, *quod ideo providerunt, ut quaestiones in curiam traherent, & eorum avaritiam satiarent, quod tamen nunquam facient, quia Clericorum animus & appetitus est anxius praeter ceteris in pecuniis cumulandis contra honestatem communem & fidem DEO promissam, non attendentes nec studentes bonis moribus, nec scripturis tam divinis, quam moralibus &c.* In sequentibus laudat Imperatorem, quod a Papae ambitione alienus prohibuerit ad se appellari omisso medio. Et talia colligi possent multo plura, nisi haec sufficere viderentur.

XXXIII. Diximus haec tenus, quid sentiendum sit de appellationibus, quae fiunt a Conciliis ad Pontificem Romanum. Dicendum nunc restat de illis, quae fiunt a Papa ad Concilium. Et verò tales olim quandoque interpositas fuisse, docet exemplum Cæciliani, cujus supra mentionem fecimus. Etsi enim Miltiades Episcopus Romanus cum aliis Episcopis sibi adjunctis in eâ causâ sententiam pronunciasset, Donatistæ tamen Cæciliani adversarii ad majorem Synodum provocarunt, & ab Imperatore Constantino impetrarunt, ut iudicium in synodo Arelatensi resuscitaretur, ut plenior illic cognitio fieret. Eodem pertinet causa Athanasii, in qua Orientales Episcopi insuper habentes, quod ille ab Julio I. Romano Pontifice in communionem receptus esset, suæ instituerunt sententiæ, tantamque Julio auctoritatem haudquaquam impertire voluerunt, ut ejus decreta pro Oraculis suscipi oporteret, sed indictâ novâ synodo sententiam priorem, quam reformare Julius conatus fuerat, confirmarunt. Et ut supra dixi, Græci nunquam censuerunt olim, Pontificis Romani sententias ab omni reformatione & correctione esse immunes, neque agnovèrunt singularem hanc ejus auctoritatem atque prærogativam, ut parère ejus mandatis necesse esset. Disertè illi in responsione ad Julium Papam tom. 1. Concil. p. 401. *Si nostris placitis magis, quam eorum machinationibus assentire & ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum & communionem habere volumus. Si verò aliter egeritis & eis ampliùs quam nobis assentire judicaveritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisq; favere volumus, sed per nos, quicquid melius eligerimus, agere conabimur &c.* Atque ita si aliquod eo tempore ex Orientali & Occi-

Occidentali Ecclesiâ Concilium Oecumenicum coire potuisset, sine dubio censuram pati debuisset sententia Pontificis Romani.

XXXIV. Ut pateat, quid de appellationibus istiusmodi à sententiâ Pontificis Romani ad Concilium statui debeat, necesse est, ut præjudicialis ista quæstio ad certam definitionem redigatur, utriusque iudicium, Papæ an Concilii, superius sit. Cùm enim ad superiorem fieri debeant appellationes l. 1. §. 2. ff. de appellat. Novell. 23. c. 4. c. anteriorem 2. q. 6. & superioris sit corrigere errorem inferioris, non verò è converso c. 16. §. de major. Obed. ita ut nec ad parem fieri queat appellatio, d. novell. 23. c. 4. Christoph. Besold. de appellat. cap. 4. n. 2. necesse est, de qualitate & dignitate ejus, ad quem dirigitur appellatio, ut præ cæteris constet. Etsi enim Franciscus à Victoria relect. 4. n. 21. statuatur, ad Concilium non esse appellandum, etsi teneamus, quod Concilium sit supra papam, ideo, quod cum sic Papa, ultima decisio causarum spectet ad eundem; admitti tamen id nullo modo potest, tum quod assertio ista principium petat, & dubium resolvat per æquæ dubium, tum quod probationes, quas subjungit, frigidæ planè & fuitiles sint, nec dignæ, quæ recenseantur.

XXXV. Quæstionem autem hanc præjudicialem ipse suo exemplo decidit Papa Gregorius IV. cujus verba recenset Gratianus c. si quis 2. q. 7. *Si quis super his nos redarguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad sedem Apostolicam, ut ibi ante confessionem S. Petri mecum iuste decertet: quatenus ibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Agit de contentione & censuris atque reprehensionibus actionum suarum, propter quas iuste decertare, h. e. iudicio contendere se velle promittit. Sed in quo iudicio? *veniat, inquit, ad sedem Apostolicam.* Statuamus intelligi hinc sedem Romanam, etsi olim omnes patriarchales throni sedium Apostolicarum nomine insigniti fuerint. Romanam autem sedem necesse est ut distinguamus hinc à Pontifice huic sedi præfidente, quod & sæpiusculè factum olim fuisse docet eruditissimus Stephanus Baluzius in not. ad Agobard. pag. 118. Et qui verò hic Gregorius semetipsum cognitorem exhibere potuit? Quæ esset quæso responsio ejus, si quis dubitat de meis actionibus, easque redarguere cupit, ad me veniat? Imò verò sedes Apostolica hinc erit ea, apud tamquam Pontifex, quam ille, qui actiones ejus redarguere intendit, & decertare animum induxit, iudicio experiri debet, & ex quâ uterque sententiam expectare potest. Tale iudicium constituitur sine dubio ex senatu Ecclesiæ Romanæ. Quò etiam tendit glossa ad c. Anastasius dist. 19. *Papa tenetur requirere concilium episcoporum, quod verum est, ubi de fide agitur, & tunc synodus major est Papâ.* Pergit Gregorius, *ut ibi ante confessionem S. Petri mecum iuste decertet.* Glossa per confessionem intelligi vult scripturam, fortè ex eo, quod in Conciliis olim poni solita fuerint in medio volumina divinæ Scripturæ. Sed rectius intelli-

telligitur hic vel ipsa tota Ecclesia, vel locustantum sive pars illa ubi condita sunt reliquia, uti confessionis vocabulum sæpissimè accipi solet. Vid. Baron. in martyrol. ad d. 6. Jul. Renuus à Valle in Hipparcho num. 82. Sic enim usu receptum erat, ut in Ecclesiis haberentur concilia & Episcoporum conventus. Quicquid tandem sit, ad confessionem S. Petri & Sedem Apostolicam tanquam aliquid se superius provocat & judicari vult Gregorius.

XXXVI. Et cur verò spondent & promittunt Pontifices Romani, observaturos se decreta & canones conciliorum, si ipsi potestatem longè superiorem & multis modis eminentiorem habent? Formula professionis habetur in *Diurno Ecclesie Romane*, & adducitur à Gratiano c. *sancta dist. 16.* his verbis: *Sancta o[mn]ia universalia Concilia: primum Nicenum: secundum Constantinopolitanum: tertium Ephesinum: Chalcedonense quartum: & quintum item Constantinopolitanum: & sextum: item Nicenum septimum: octavum quoque Constantinopolitanum usq[ue] ad unum apicem inmutata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ predicaverunt & statuerunt modis omnibus sequi & predicare, & quæcunque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteri.* Si pontifex est supra Concilia, cur sese ita ad observationem canonum synodaliū obstringit? Si est supra concilia, si est cœlestis veritatis Dictator, si omnia jura in scrinio pectoris sui habet, si per modum capitis infallibiliter influit in omnia Ecclesiastica jura & munia, si Concilium nullum consistit, neque vim obligandi habet sine ejus influxu & confirmatione, si ipse spiritum, vim atque robur dat conciliis, cur profitetur is, velle se servare, quod ita ab antiquitate statutum fuit? Imò si habet eundem spiritum sibi assistentem, qui illis Pontificibus adsticit, per quorum autoritatem confirmata prima illa concilia fuerunt, cur spiritum ille suum ita adstringit, ut sequi cogatur aliorum statuta & decreta? Falsa hæc ratione erit doctrina Johannis XXII, qui in *Extravag. 5. de V. S.* adversus secus sentientes statuit, *illis quæ in fide ac moribus à summis Pontificibus semel sint definita, non posse ab eorum successoribus contrarium affirmari, prorsus esse contrarium veritati.* Falsa etiam assertio Benedicti XII. apud Eymericum *Directorii part. 2. q. 17.* dum ait: *Constat, quod illud quod circa fidem & mores male determinatum est per unum Papam vel Concilium, potest per alium perspectè à melius veritate corrigi & emendari.* Et hinc verò sequitur id, posse Pontificem Rom. errare, & adstringi adeò debere ad determinationem certam à Conciliis præscriptam, & hoc ipso Concilia esse supra Papam. Non potest esse supra concilia, qui se illis submittit, quive firmitatem & veritatem Conciliorum istorum non à suâ voluntate dependentem, sed jam ante existentem nolens volens agnoscit.

XXXVII. Seriùs nempe & contra divinam scripturam, contra sanam rationem & contra placita veterum doceri cœpit in Ecclesiâ Romanâ, au-

ctori-

toritatem generalis concilii totam pendere à Papâ: Concilia ex confirmatione Pontificis omne suum robur acquirere: Papam cum rectæ ac sinceræ fidei doctrinam divinâ hereditate possideat, infallibilem rectè definiendi potestatem conciliis tribuere: omnia concilia generalia habere robur & potestatem à Papâ, non solum, ut sint legitima, & legitime congregentur, sed etiam ut ibi possit definiri, ibique definita sive decreta valeant. Quales hypotheses in præludiis ad summam Conciliorum præmittit Franciscus Longus à Coriolano. Sic & Bellarminus lib. 2. de concil. c. 17. & 18. statuit, summum Pontificem absolutè esse supra concilia, nec posse subicere se ipsum sententiæ coactivæ conciliorum. Et Jacobus Gretserus tom. 2. defens. Bellarm. lib. 4. cap. 2. impudenter scribit: *Papa quâ talis, definiens aliquid non modo cum concilio generali errare non potest, sed nec solus & absque concilio; at Concilium sine Papa errare potest. Hinc major est auctoritas Papæ, quàm concilii, præsertim cum sumpto & juncto etiam Papâ cum concilio, omnis concilii infallibilitas derivetur à Papâ, non vice versâ.* Adderem plura, nisi obvia essent & quotidie occurrerent talia apud Scriptores recentiores, ut mirum sit, admitti ab aliquibus, posse Romanum Pontificem deponi auctoritate Concilii generalis, si hæresin doceat aut schisma faciat. De quo casu videri poterit Dominicus Cardinalis Jacobatius de concil. lib. 3. itemque Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30.

XXXVIII. Longè aliter docuerunt olim, & docent adhuc in Ecclesiâ Pontificiâ, qui cordatiores sunt, quive vera, non fucata & in meram adulationem desinentia studia sectantur. Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, quem Bellarminus Virum doctum & pium, Jacobus Wimphe-lingius sempiternam Parisiensium gloriam appellat, in sermone pro viagio Regis Romanorum Sigismundi hæc notata reliquit: *Conscribenda prorsus esse mihi videretur in eminentioribus locis vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc determinatio, lex vel regula: tanquam directio fundamentalis & velut infallibilis adversus monstruosum horrendumq; offendiculum, quod hætenus positum erat per multos de Ecclesiâ in itinere mandatorum DEI, determinantes ex textibus grossè, non ad regulam Evangelicam & æternam acceptis, (intelligit autem textus juris pontificii) papam non esse subiectum generali concilio, neq; judicari posse per ipsum, quod præterea generale concilium ab ipso robur immediatum sumeret, nec posset sine eo casu quocunque vel convocari vel stabiliri: quod nemo possit ei dicere: cur ita facis? Didicit id sine dubio Gerson à præceptore suo Petro de Alliaco Episcopo Cameracensi & Cardinali, qui eandem sententiam tenet lib. de potest. Eccles. part. 3. cap. ult. Concluditur, inquit, quod tam de jure humano quàm divino concedendum est, papam posse ab universali Ecclesiâ vel à generali concilio eam representante in multis casibus judicari & con-*

XXXX

demna-

demnari, & ab eo ad concilium in multis casibus posse appellari, videlicet in casibus Ecclesie destructionem tangentibus.

XXXIX. Uterque hic interfuit Concilio Constantiensi, & propterea veram Concilii eius sententiam in hac re minimè ignorarunt. Et autores adeò cum aliis fuerunt, ut tale in eo sess. 4. ederetur decretum: *Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens ordinat, definit, statuit, decernit & declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu S. congregata legitime, generale concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunq; status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesie DEI in capite & in membris.* Idem repetitum post annos septendecim in Concilio Basileensi sess. 2. Et si autem utrumque hoc Concilium in illis articulis, quibus Papæ majestas infringitur, à Bellarmino & ejus asseclis, rejiciatur, & exinde is distinctionem, quam facit, inter concilia approbata scilicet à Romano Pontifice, & reprobata, & partim approbata, partim reprobata, confirmari posse putet, eruditè tamen ostendit Benignus Milletotus *tr. de delicto communi & cas. privileg. pag. 47.* Concilium ita in partes lacerari non posse, & cum nihil esse possit partim validum, partim nullum, necesse esse omnino, aut ut omnia istius concilii decreta prorsus nulla judicentur, aut ut illud de superioritate supra papas simul cum reliquis obtineat. Ut taceam jam, ex Bellarmini assertionem prono alveo fluere, in unius hominis, Romani scilicet pontificis, potestate esse cultus divini formam & modum præscribere, ab ejus arbitrio pendere fidei decreta sancire & sancita mutare, atque adeò quid velit esse in universâ Ecclesiâ sacrosanctum, quemadmodum expressè scripsit Baronius *ad ann. CCCLXXIII. §. 21. & ad ann. DLIII. §. 224.*

XL. Georgius Cassander Vir summi judicii, & quem ipsi Imperatores Ferdinandus & Maximilianus II. egregiè ornavunt encomiis, scripsit dialogum *de suspensione Concilii Tridentini*, inque eo mox ab initio hujus controversiæ de Pontificis Romani superioritate mentionem facit. Ait, ante annos ferè CXX. Virum quendam doctissimum & religiosissimum (Jacobum de Paradiso) gravissimè conquestum esse, suâ ætate eximie eruditionis Viros censuisse & ut ipse loquitur, dogmatizasse, in quolibet Papa potestatis plenitudinem residere, non modo super quolibet Ecclesiæ membro singulari, verum etiam supra Ecclesiam universam in concilio congregatam pro suâ libidine disponendi, & ut ipsius verba habent, decretandi, corrigendi, auctorizandi, ut nemo illi audeat dicere cur ita facis? Post hæc subjicere, si in posterum Concilii generalis convocatio fiat, Germaniæ Principes, Prælatos, Doctores ac Magistros se à Concilio subducturos. Ex quo enim totius Ecclesiæ dispositio in mente unius peccabilis hominis residere debeat, supervacuum videri multorum congregationem, ubi

ubi unus solus contra aliorum vota auctorizare & debet & potest. Atque in eam sententiam, quod Concilium generale superius sit Romano Pontifice, plurima prostant summorum Virorum testimonia alia, quæ studiosè nunc prætereo, Hadriani videlicet Papæ sexti, Cardinalis Cusani, Cardinalis Panormitani, Cardinalis Florentini, Johannis Patriarchæ Antiocheni, Alphonfi Tostati Episcopi Abulensis, Johannis Parisiensis, Johannis Majoris, Jacobi Almaini & totius fermè Parisiensium Scholæ.

XLII. Postquam verò contraria multorum autoritatibus subnixæ invaluit sententia, eamque ipsa Curia Romana ambabus manibus amplexa est, nec adeo propitia illa extitit dissentientibus, inventi fuerunt nonnulli, qui neutri parti addicti, medios se gerendo & Pontificis iram effugere, & oppositæ parti impune se adhærere posse putarunt. Sanè Martinus Azpilcueta Navarrus Canonici juris scientissimus apertè docet, de hac re inter Romanos & Parisienses Theologos adhuc probabiliter disceptari, neque ipse magis in unam quàm in aliam partem propendet. Est, inquit, in c. novit de judic. notab. 3. n. 84. maxima discordia Romanorum & Parisiensium, cui principalis potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro. Illi enim tenent, Petro & Successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideò Papam Concilio esse superiorem; Hi verò, quibus Gerson adhaeret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per unum, atq; ideò in aliquot saltem casibus Concilium esse supra Papam. Quarum illa, scil. Romanorum videtur placuisse S. Thomæ, Thomæ à Vio, ubi aliis omnibus & profundius hoc demonstrare conatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Parisiensibus est, quem frequentius nostri sequuntur, ut tradit Decius. Quam mordicè tuetur Jacobus Almainus è Sorbona Theologus, qui respondit Thomæ à Vio libello justo, & Johannes Major, qui idem facit, ajens Romæ nemini permitti tenere Parisiensem & Panormitani sententiam, nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, ut contraria asseratur in eâ.

XLIII. Idem censuit Franciscus à Victoria Theologiæ in Salmantica Universitate Professor publicus Relect. 4. de potest. pap. propos. 32. De comparatione, inquit, potestatis Papæ est duplex sententia. Altera est S. Thomæ & sequacium multorum & aliorum Doctorum tam in Theologiam quàm in jure Canonico peritorum, quod papa est supra concilium: altera est communis sententia Parisiensium & multorum etiam Doctorum in Theologiam & canonibus, ut Panormitani & aliorum contraria, quod concilium est supra papam. Non est locus nunc disputandi, quæ illarum sit verior. Puto utramq; esse probabilem opinionem. Nec profectò tam certus & sibi constans est Cardinalis Bellarminus, dum Papæ eminentiam adstruit, ut non ipse alicubi dubiam suam reddat sententiam. Postquam enim eam in rem Concilii Florentini & Lateranensis sub Leone X. decreta adduxisset, quæ inter ejus probationes Romanæ Ecclesiæ adducto vi-

deri possent fortissimæ, non obscure tamen in eorum, qui neutri adhærent sententiæ, partes inclinat. *Quamvis postea, inquit, lib. 2. de concil. cap. 13. in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo videatur questio definita, tamen quia Florentinum Concilium non ita expressè hoc definit, & de Concilio Lateranensi, quod expressissimè rem definit nonnulli dubitant, an fuerit verè generale, idè usq. ad hanc diem questio superest etiam inter Catholicos.*

XLIII. Quicquid verò inter se disputent Latinæ Ecclesiæ Doctores, diurnus tamen & repetitus usus, tum inter privatas, tum publicas personas, easque quibus summa Reip. concredita fuit, appellationes istiusmodi comprobavit. Ex multis, quæ adduci possent, exemplis, duo tantum nunc maximè illustria commemorare liceat. Nota est historia Friderici II. Imperatoris, quam indignis ille modis à Pontificibus Romanis exceptus subinde fuerit, & prolixè id referunt Johannes Aventinus *lib. 7.* & Matthæus Paris *sub Henrico III.* Finem tragœdia ea ferè habuit istum, quod Pontifex Innocentius IV. Lugduni in Galliâ concilium celebraverit, & acriter in eo Fridericum persecutus fuerit defendentem se per procuratorem Thaddæum de Suessa Virum prudentissimum & tam in togâ quam iugo celeberrimum. Cumque hic animadvertisset, nihil omnino se proficere, neque exaudiri, etsi utrumque Regem Franciæ & Angliæ fidejussores pro Imperatore sistere paratus esset, appellavit ejus nomine ad Concilium proximè futurum generalius, eò quod non omnes nunc prælati, vel eorum vel principum procuratores comparuissent. Et Pontifex quidem rejecit appellationem, non tamen idè, quod ea licita non esset, sed quod concilium non posset dici minus sufficiens, quippe quod ex variis mundi partibus magno numero coisset. *Satis est, inquit, apud Matthæ. Paris d. l. Concilium generale multorum, qui Domini tui humilitatem inutiliter non sine gravamine expectarunt, patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum de diversis mundi partibus nobilium vel eorum procuratorum. Et qui absunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti &c.*

XLIV. Alterum exemplum nobis præbet ex superiore seculo Carolus V. Imperator semper Augustus. Liberaverat ille, quem captivum diu penes se habuerat, Franciscum Galliæ Regem, eumque libertati restituerat, sub certis tamen conditionibus, quas Franciscus jurejurando firmaverat. Cùm verò Pontifex Romanus, qui tum erat Clemens VII. non sacramenti solum vinculo Franciscum solvisset, sed & pacto cum eo fœdere adversus Imperatorem excitasset, & aculeatas admodum literas in Hispaniam misisset, Carolus vicissim anno 1526. per rescriptum criminationes ejus solidè refutavit, additâ provocatione ad Concilium futurum, sicubi Pontifex proposito insistere perrexerit. Integrum rescriptum legi potest apud Goldastum *volum. 1. Constitut. Imper. pag. 479. seq.* Nobis hic adduxisse sufficiat

ficiat verba ejus finalia: Verum si sanctitas vestra nos ab his culpis & objectis immunes non censuerit, nostrasq; excusationes & justificationes pro veris & ultimis non habuerit: si arma contra nos continuerit & illorum depositioni non consenserit: si universalem pacem amplecti nolit, cum tunc non patris sed partis, non pastoris sed invasoris officium assumeret: si aequus rector eorum iudex non censeretur: nullo alio tunc superflite superiore, cui nos & nostra objicere debemus, eaq; omnia, quae nobis objiciuntur aut in posterum objici possent vel tentari: sive personam sive Imperium regnaque & dominia concernant: simul & ea omnia, quae nobis ex adverso pro nostra justificatione & innocentia ad Christianae Reip. quietem praetendimus & pretendere possumus ad sacri generalis concilii totius Christianitatis cognitionem & iudicium remittenda censuimus. Illiq; nos & omnia, quae cum S. V. habere possumus, aut deinceps habituri sumus, omnino subicimus. -- -- Nos enim cum ex his & aliis satis notoriis causis turbari videremus universum Ecclesiae & Christianae religionis statum, ut nobis ac ipsius Reip. saluti consulatur, pro his omnibus ad ipsum sacrum universale Concilium, cujus etiam officium per viam querela his de causis implorandum censemus: petentis cum ea, quae decet, instantia, apostolos & literas dimissorias semel, bis, ter & pluries nobis concedi, & de horum petitione testimoniales literas fieri, ac expediri in ea quae decet forma, quibus suis loco & tempore uti valeamus. Et cum ad haec solenniter peragenda ejusdem solennitatis praesentia minime habere queamus, ut inde forsitan futuris gravaminibus occurramus, has nostras ejus Nuncio Apostolico penes nos agenti & legationis munere nomine V. S. fungenti, per actum publicum coram Notario & testibus exhibendas, intimandasq; censuimus.

CAP. XXXII.

De Censuris & poenis Ecclesiasticis.

I.

Censuræ vocabulum unde & quâ ratione significatum hunc acceperit primum, quem ex usu juris Canonici hodierni obtinet, curam nostram parum afficit. Et quis enim omnium earum rerum, quae quomodocunque invaluerunt aliquando, rationem reddere poterit? Sufficit nosse, per istud vocabulum exprimi & denotari severam aliquam correctionem poenæ non absimilem, eamque ita describi, quod sit privatio bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem in criminis alicujus punitionem ad emendationem sive correctionem delinquentis inflictâ. Et quia hæc poena merè spiritualis est, in morali aliquâ bonorum & commodorum spiritualium privatione consistens, poenæ autem aliæ civiles pleræque positivum aliquod malum continent, inde est, quod censuræ potius quàm poenæ nomen

Yyyy 3

priva-